





*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIONEM  
IN AVGVRALEM MEDICAM  
DE  
EXITIOSIS AEGROTORVM  
AD ACIDVLAS THERMASQVE  
RELEGATORVM FATIS  
DIE XXIII OCTOBR<sup>o</sup> AN<sup>o</sup> CICCI CC XL  
HABENDAM  
INDICIT

---

BREVISSIME  
DE  
ITA DICTIS  
MEDICORVM ARCANIS  
DISPVNTANS  
CHRISTIANVS GOTTFRIED  
STENTZELIUS  
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR  
CHIRVRGIAE ET PATHOLOGIAE PROFESSOR  
PVBlicVS ORDINARIUS H<sup>o</sup> T<sup>o</sup> FACVLTATIS  
MEDICAE DECANVS



**V**sus, optimus rerum quartuus magister; usus redit artificem; usus, non peregrinatio, facit medicum; qui *molto practica*, est Italorum prouerbiu[m], *molto impava*, hoc est, frequenti exercitatio[n]e, multum addiscitur. Quot herbae, arbores, fructus, semina, radices, cortices, ligna, priscis ignota, quorum tamen magna in arte salutari utilitas, iam usus ministerio in lucem protracta, & uulgo perspecta cognitaque sunt? Quam multa, quam egregia, quae ueteres medici prorsus ignorarunt, in humano corpore, apertorum & examinatorum subsidio cadauerum, detecta ac demonstrata omnibus patent? Quid ignis usus, in eruendis, corrigendis & augendis generosiorum principiis & uiribus medicamentorum praefitterit, & adhuc praestet, docent tot dilucidae eorum explicationes, ac tot eximia, quae huic auxilio debemus, auxilia? Ast, raro abusus, frequens usus comes, suum, quod usui debet, ius & priuilegium integrum relinquit; ab eo enim tempore, quo, cum numero morborum aucto, aucta fuit remediorum, his sanandis dicatorum, farrago, multi etiam reperti sunt, qui, de sua magis, quam aegrotorum, salute, solliciti, *Arcana*, insignibus & stupendis, ut dicunt, praedita uiribus, illico opitulantia, fallacissime uendarunt & ostentarunt. Ne uerbulum quidem dicerem, si hoc a simiis saltem medicorum, circumforaneos, homines impudentes & feroci, intelligo, fieret; ast, cum hoc quotidie a magni medicis nominis fieri aduentamus, illud omnino genuinis artis salutaris cultoribus non potest non esse acerbissimum. Haud eo inficias, quod multi medici, sedulo labore, & constanti meditatione, quandoque etiam casu, notitiam medicamentorum, prudenter & apte coniungendorum, aut alia emendandorum ratione, quae in hoc illuo morbo, in hac illuo morbi caufa, citissimam afferunt operem, adipiscantur; haud improbo frequentem eorum in simili statu usum; utrumque potius desidero, utrumque approbo, utrumque peritis incumbit medicis, utrumque iudem perficiunt; nomen est, quod huiusmodi medicamentis imponunt, modus, quo talia commandant, pretia, quibus eadem

eadem vendunt, haec, haec, inquam, sunt, quae honestis  
medicis minus arrident. Ex qua, quæsio, causa, medica-  
menta uestra *Arcana* dicitis? Responsio est facillima & in-  
promtu, quia nempe modus, quo eadem consicimus, nobis  
saltem perspectus, alios later. Sunt igitur haec remedia, non  
tibi, sed aliis, arcana. Optimum hinc esset, si eadem tibi ipsi  
relicta resuares, infontes & simplices haud decipiens, inania  
& mira persuadendo. Inania omnino & falsa sunt, quæ alii de  
remediorum tuorum uirtute persuadere gestis. Quid sunt  
pilulae tuae, quas adeo, ut excellentissima longaeuitatis ob-  
tinenda subsidia, praedicas, uiscerales a te dictæ? coniunctio  
ac confusio gummatum & extractorum purgantium, so-  
lutu difficultum, difficultimeque, aut exitiose, agentium. Mul-  
tos sane uidi, qui, pilulis tuis deglutitis, alio pertinaciter  
constipata laborarunt, usū salium, ore assumtorum, & clysmatum,  
in crassa, ut dicunt, intestina iniectorum, referanda. En e-  
gregiam pilularum tuarum uisceralium actionem! Quid dicam  
de foeminis, quæ, ex pilularum tuarum usu, nimio, qui per geni-  
talia excernitur, sanguinis fluxu affectæ, in nervorum distensionem,  
sequente animi deliquio, & sudore frigido, cess' item,  
inciderunt? Quid respondebis, quid respondes, dum pilu-  
lae tuae, puellis, imminentे sanguinis menstrui, primum  
prodituri, negotio, exhibitæ, diarrhoeam, illique mox suc-  
cedentem dysenteriam, febre continua, maxima anxietate,  
cordis palpitatione, sudore frigido stipatam, iam iam cum  
morte discessuram, producunt? Hoc, non medicamento, re-  
geres, sed imprudenti & peruerso eiusdem abusui, imputan-  
dum. Cur uero, tu, talia remedia, sine consilio medici adhi-  
benda, summopere laudas? Sed de hoc plura alio loco, alioque  
scripto. Ab euacuantibus remediis tuis, quæ *Arcana* uocas, ad  
confortantia, quæ satis caro constant pretio, progredior. Quid  
uero sunt essentiae & tinturae tuae solares, a sole, hoc est, auro,  
exacte & intime soluto, ita dictæ, & uariis titulis insigni-  
tæ? dicam tibi ingenuæ, dicam aperte: sunt spirituosaë sa-  
chari, probe defecati, solutiones, omnis expertes coloris par-  
tim, partim tinturae aromaticæ, addita colophoniae portiuncu-  
cula,

cula, aureo fulgentes colore. Quid sunt porro uestra balsama  
uitae, uitam, ad Methusalem secula accedentem, promittrentia?  
remedia sunt salino-uolatilia oleosa, ex spiritu rosarum, aut  
alio simili, balsamo Peruiano, & oleis aromatum destillatis,  
debita portione sociatis. composita, quae, mutando tum res,  
tum rerum pondus, & haec addendo, illa omittendo, facile mu-  
tari, & iam palato, iam naribus, iam huic illiue subiecto,  
quod tibi in aurem dictum uolo, magis accommodari, gra-  
tioraque & utiliora reddi possunt. Quaecunque tandem sit,  
uestra compositio, ex penetranti aromaticoque odore, & ar-  
dente, qui faucibus diu haeret impressus, sapore, satis per-  
spicitur, talia remedia, quae nos balsama uitae dicitis, esse  
hominum, quos serosa colluuius, fibras uasaque onerans, &  
relaxans, affligit, remedia, purgato prius congruis euacuantib-  
us canale alimentorum, proficia. Cur uero, cum horum  
probe gnarus sis, aut esse debeas, balsamum uitae, quod a te  
nomen habet, aegro exhibes, te primum inuisenti, deinde i-  
dem transmittis absenti, qui, ex saltum alcalinorum excessu,  
tanta humorum gelatinosorum, nutritioni impendendorum,  
resolutione, summo, qui ex naribus oreque erumperat, foeto-  
re, molestissima, affectus fuit, ut quiuis, praeter allegamat  
causam, latens in corpore ulcus harioleari imo cognoscere por-  
erit. Abhorret hoc modo actio remedii tui a sensu tituli,  
quo illud insignisti, tuumque balsamum uitae, est balsamum  
mortis, mortem, qua hominum generi nihil terribilius,  
accelerans. Mihi equidem haud incognitum occultumque est,  
quod multorum medicorum mens & opinio sit: optima, tum  
sanitatis conservandae, tum amissae restituendae, subsidia, esse  
medicamenta confortantia. Primo autem roborantium loco  
uestra ponitis balsama uitae, uitae, uti iactatis, prorogandae  
congrua. Eadem omnino, partibus solidis, nimia aquosa-  
rum colluuiie particularum obrutis, nimisque relaxatis, irri-  
tando, maiorem motum & nouum quasi robur conciliant, ea-  
rumque in humores actionem promouendo, & abundantis  
secretionem & excretionem seri adiuuando, morbis, a tali  
causa imminentibus, uel iam praesentibus, opitulantur, non

peraeque siccioribus, sanguine tenui & acri, bilis & salium  
alcalinorum excedentium culpa nimium resoluto, praeditis,  
opitulatura, dum, aucta, ex eorum usu, solidorum tabe, flui-  
dorumque resolutione, & acrimonia, corpus viresque amit-  
tuntur. Quem praeterea rerum medicarum peritum latet,  
quod, in morbis, a serosa colluie dependentibus, unica olei,  
destillatione e cinamomo prolecti, gutta, plus praefert, quam  
triginta ita dictorum balsamorum uitae? Conueniunt, in-  
quam, talia olea, talia balsama, in solidorum flacciditate, re-  
pudianda, si peccet ariditas. Temere proinde agunt illi, qui,  
a morbo, febre scilicet continua, qua grauiter affecti fuerunt,  
uix liberati, plane se confirmandi ergo, talia uitae balsama adhi-  
bent, haud attendentes animo, quod igni, uix extincto, hinc  
nouus suppeditetur fomes. Supprellae, dicas, vires, tali me-  
dicamento excitandae, excitatae colligendae, collectae augen-  
dae sunt. Enim uero, quae causa, quae languor is uirium o-  
rigo? defectus limphae & gelatinæ, quibus omnes partes  
irrigandæ, rigatae in debito robore conseruandæ, accusan-  
dus. Vide igitur, quam perniciosum sit remedium in tali  
statu casuque a te laudatum, commendatum. Haec uero,  
uos, opiniosissimi homines, a præsumpta opinione uestra,  
ad quam, tanquam ad saxum adhaerescitis, dimouere ne-  
queunt, prouocantes ad experientiam, exoptatorum suc-  
cessu experimentorum stabilitam, ac magnum innumero-  
rum hominum, qui uestra uitae balsama, ipsis summe pro-  
ficiunt, maxime prædicant, applausum. Qui nam uero  
sunt illi, quorum applausu confisi, prudentiores de mirandis  
remediorum uestrorum uiribus conuincere studeris? Sunt  
homines stupidi & creduli, rerum medicarum prorsus igna-  
ri, auctoritate & dignitate uestra, uirtutibusque, quas uestris  
tribuitis medicamentis, occoecati, & decepti, decipere alios  
non erubescentes; *Ein Narr macht viel Narren.* Quae por-  
ro sunt illa præcipua & eximia, quae ordinem & naturam  
excedere dicuntur, experimenta, quibus animo, ueritatis cu-  
pido, fidem dictorum promissorumque uestrorum facere po-  
testis? Nonne uidistis, dicunt, multos, ex mortis faucibus,

pau

paucarum usū gutterum, a balsamis uitae nostris desuentrum, eruptos? Quot, animi defectione laborantes, cadauerique & colore & calore simillimi, eorundem ministerio balsarum, illico refecti refocillatique fuerunt? Ast, infirmissima sunt argumenta haec, certis certi quid probantibus ac demonstrantibus experimentis nunquam annumeranda. Nonne noto notius, quod multae foeminae, motu sensuque, mortuarum instar, priuatae, accensis plumis, aut oblata indiraque naribus, quam dicunt, asa foetida, mox recreatae restituuntur? Nonne multi, qui animo linquuntur, sola saepius aqua frigida aspersa, pristinam recuperant alacritatem ac uigorem? Ac, quid regeres, dum tibi rusticum sisto, qui immimenti animi defectioni, fecibus, quas a digitis pedum separabat, succurrere solebat. Si igitur argumentatio tua, qua uteris, absolutissima & perfecta est, grauissimum peraeque & firmissimum erit argumentum meum, dicentis, quod hoc modo accensarum foetor pennarum, putidissimaque asae foetidae & folidum a digitis pedum collectarum exhalatio, optima constituent medicamenta roborantia, ita dictis balsamis uitae similia. Hoc denique turpissimum, & a genuini honestique dignitate medici alienissimum est, quod uestra ita dicta *Arca*, *Narcana*, barbaro, uobis congruo, uerbo, dicenda, non peculiaribus modo libris, hunc in finem editis, schedulisque, in domos per seruos missis, commendetis, sed eadem quoque commentarii rerum publicarum & nouarum inserta describatis, praedictis, indicando locos, ubi eadem uenalia venduntur. Non iniuste uos spurios Hippocratis filios appello, qui ab Hippocratica grauitate plane degenerasti, artem salutarem in uilis & abiecta genus mercatura mutando. Inter alias, medicum genuinum decentes uirtutes, etiam Cous noster pecuniarum contemtum (a) requirit, damnando auaritiam, honestorum honori medicorum aduersissimam. Non hoc saltē in praceptis dedit Cous noster, sed idem enim suo

---

(a) Lib. de decenti medici habitu. Εν ιπτριη ἀφιλαγγυεῖν. In medico esse debet pecuniae contentus. uid. Sponius, aphor. nou. Sect. 5. §. 4 p. 4.

suo exemplo probavit ac confirmavit. Nam, cum Artaxerxes, Rex Persarum Magnus, Hippocratem, promissus summis honoriis, maximisque opibus oblatis, ad se inuitasset, idem, haec omnia negligens, hanc negligentiae suae rationem ad Demetrium perscribebat: (b) Rex Persarum nos ad se uocauit, nescius, mihi potiorem esse sapientiae, quam auri rationem. Quis vero uobis in hisce mos & modus est, gloriosi & immodi ci *Arcanorum iactatores*, *Thrasonis Terentiani aemuli atque imitatores*, ne dicam, aeruscatores? Vobis certe, non sapientia, sed aurum, magis curae cordique est. Sed, de his satis.

Commando iam Vobis, Nobilissimum Medicinae Candidatum, WILHELMVM CHRISTOPHORVM KVTZBACH, qui, honestis prognatus Parentibus, honeste & pie educatus, literis, studiis & artibus, medicis praesertim, instructus, ab Ordine nostro examinatus, & probatus, die XXIII. Oct. anni praesentis, me Praeside, *de exitiosis aegrotorum ad acidulas thermasque relegatorum fatis*, Pro Licentia disputabit.

Quem actum inaugurem, ut Magnificus Academiae Rector, Patres Conscripti, omniumque Ordinum Doctores, omnesque literarum Cultores ac Fautores, sua praesentia beneuole condecorare uelint, est quod iterum iterumque rogamus. Vitembergæ, Die XIX. Octo-  
Ao. cīc Is CC XLI.

---

(b) Oper. Geneuae, cum Oeconomia Fœsii, in folio, 1662 duobus Tom. ed. Tom. 2. Epist. ad Demetrium, p. 1272. Βασιλεὺς Πρέστερος ἡμίου μικρούπιττα, εἰς εἰδὼς, ὅτι λόγος ἐμοὶ φοῖνις χρηστὸς πλίον δύναται.

---

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.



00 A 6326 (1)

VD 18

ULB Halle  
004 103 416


3





B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V

DISSERTATIONEM

IN AVGVRALEM MEDICAM

DE

EXITIOSIS AEGROTORVM  
AD ACIDVLAS THERMASQVE  
RELEGATORVM FATIS

DIE XXIII OCTOBR' A.D. CICCI CCXL

HABENDAM

INDICIT

BREVISSIME

DE

ITA DICTIS

MEDICORVM ARCANIS

DISPVNTANS

CHRISTIANVS GOTTFRIED  
STENTZELIUS

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR  
CHIRVRGIAE ET PATHOLOGIAE PROFESSOR  
PUBLICVS ORDINARIUS H. T. FACVLTATIS  
MEDICAE DECANVS

54